BENEDICTVS DEVS. t. Exordium orationis in hac epistola trahit à gratiarum actione pro sua more, c. partim vt Dei bonitatem prædicet, partim vt animet Corinthios suo exemplo ad persecutiones fortiter sustinendas, partim vt pia gloriatione se efferat aduersus maliguas obtrectationes pseudoapostolorum. Hæc enim est in mũdi prauitate vt ma tyriis, quæ suscipere cũ admiratione debuerat, insulcet. B. Cæterum paulo obscuior est orationis contextus: sensus vero & ordo ferme hic est, Laudandus est Deus summum illud bonum & misericordiæ ac beneficentiæ fons inexhaustus, qui nullibi dormit sed quoties præmium, & in discrimen adducimur, præsens adest, cõsolatur, eripit ac seruat: nõ modo vt non eripiat, qui sumus Apostoli eius, sed vt omnibus aliis veritatis nomine afflictionem sustinentibus, spem certã faciat, non de solis illis consolationem & opem diuinam. Id enim ratum nunc facit per eam consolationem qua nunc nos consolatur. s. His verbis Deo gratias agens, subindicat sese à magnis periculis fuisse subductum ac libertatum. c. Pertulerat autem forti & alacri animo suas tribulationes, hanc fortitudinẽ adscribit Deo: quia eius consolatione suffultus non succubuerit. ET PATER DOMINI N. I. c. 5. Sic eum appellat, ad vindicãdam aduersus Iudæos ac futuras hæreses sempiternam Christi diuinitatem. c. Ita etiam vocatur Deus cum de beneficiis agitur: quia vbi non est Christus, illic nulla Dei beneficentia: rursum, vbi nec est Christus, (per quem omnis cognatio nominatur in cælo & in terra. Eph. 3. c. 15.) illic omnes misericordiæ & cõsolationes DEI QVI EST PATER MIS. B. Vt tum epithetis præsentis negotio appositissimis s. Patrem miserecordiarum appellat ad exprimendam eius immensam benignitatem, qua solet miseris omnibus qui ipsum ex animo nouerint, vt curre et cum illis, quibus ipse sunt affectus. t. Attende verbo magnam hominis humilitatem, qui quum prædicandi officio quauis & pressuris vrgentibus eximeretur, neque aliquam ipsius sese esse affirmet, sed Dei misericordia tot malis solum. ET DEVS OMNIS CONS. s. Hoc est eximiæ & perfectæ cõsolationis qui suos eximie in omnibus aduersis consolatur. B. Hæc quidem verba ingenium Dei in nos propensissimum miro modo & adorant & commendant: ceterum in dubiis rebus vnt accedamus. Turpe enim est, neglecto Patre benignissimo, & Domino liberalissimo contempto, creaturis ac seruis supplicem fieri. A. Quare bona omnia ab eo semper speremus, & de eius auxilio nunquam dubitemus.

4 Consolans nos in omni afflictione nostra in hoc vt possimus consolari eos qui sunt in quauis afflictione per consolationem qua nosipsos consolatur Deus.

CONSOLANS NOS. s. Nondum dicit, Non sinens nos affligi, sed consolans, dũ affligimur quo simul Dei potentia in nobis declarat, & eorum qui affligũtur auget patientiam. Sic Dauid canit, In afflictione dilatasti mihi, Ps. 4. a. 2. Sic & tres viros illos, vnius veri Dei cultores, in fornacem accensam iniici quidem sinit, nec flammam extinguit: in eorum tamen vel supremas vestes illorum ab igne lædi permittit. Dan. 3. g. 94. Et vt consolationis perpetuitatem ostendat, adiungit, IN OMNI AFFICTIONE NOSTRA. q. d. Non tantum semel atq; iterũ, sed semper nos consolatur. r. neq; in hac solam vel illa pressura, sed in omni tribulatione, quæcunq; sit illa. AMB. Non in aliquibus, sed omnibus. s. Videtur autem Apostolus de ea afflictione loqui de qua Lucas, Actor. 19. f. 10. vel de qua ipse Paulus, 1. Cor. 15. d. 32. vbi ait se ad bestias pugnasse Ephesi. IN HOC VT POSS. CONS. c. Vt nõ sibi viuebat Apostolus, sed Ecclesiæ: ita quicquid gratiarum in ipsum conferebat Deus, non sibi soli datum reputabat, sed quo plus ad illos iuuandos haberet facultatis. Et certe Dominus, quum nobis benefacit, suo exemplo nos quodammodo inuitat vt simus in proximos liberales. Nõ igitur suppriminda sunt Spiritus diuitiæ: sed quod quisque accepit in alios transferat. 1. Pet. 4. b. 10. Valere quidem præcipe hoc debet in verbi ministris: communicatio tamen omnium est, pro cuiusq; mensura. Ita hic Paulus se Dei consolatione iuuentatum fuisse agnoscit vt aliis consolandis ipse sufficeret. s. Dominus autem modis suos in afflictione solatur Deus. Primum, dum illos eripit, vt Dauidem frequenter. 1. Sam. 18. c. 11. & 19. b. 12. & 2. Sam. 16. b. 9. Tres viros ex igne, Dan. 3. g. 94. Daniel & Paulum à fauces leonibus. Dan. 6. f. 22. Cor. 15. d. 32. Et quo damnatos à morte præsentissima. Deinde dum robore & consolatione animi tuetur, vt immanissimos corporis cruciatus alacriter ferant. A. quemadmodum de Stephano legimus, qui in media morte præsentem Deum cernebat, Act. 7. 13. 55. s. Vtrumque autem istorum pius omnibus magnam adfert consolationem, dum vident quasi per experientiam Deum haud deserere suos in quacunq; fuerit afflictione. Hinc & ipsi illorum exemplo discunt fidere Deo, & bene sperare de eo, quicquid tandem acciderit aduersitatis: iuxta id quod scribitur, Deus noster refugium & virtus, propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris, Psal. 46. a. 1. Per quam hyperbolen intelligit maximas quasque afflictiones.

5 Quoniam sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra.

QVONIAM SICVT. s. Ne deiiciat animos discipulorũ, supra modum exaggerans calamitates, ex aduerso demonstrat etiam consolationis abundãtiam. c. Hæc a. sententia bifariam exponi potest, actiue & passiue. Si actiue accipias, id est: Quo magis exerceor variis afflictionibus, eo maior alios consolandi facultas mihi suppetit. Sed passiuus sensus aptior est, quod pro mensura tribulationum Deus suas consolationes multiplicet. B. Quo enim sancti nomine Dei affiguntur grauius, hoc euidentius ille eorum opitulatur infirmitati: A. nec patitur eos tentari supra id quod possunt, sed facit cũ tentatione prouentum, vt possint sustinere, 1. Corinth. 10. c. 13. c. Quod etiam Dauid testatur sibi accidisse, Pro multitudine anxietatem mearum intra me consolationes tuæ lætificauerunt animã meam, Ps. 94. d. 19. B. Proinde quoties ingruunt aduersa viribus nostris maiora, toties nimirum Deus statuit virtutem suam exercere omnium validissime. c. Notandum vero Apostolum vocare piorum afflictiones, passiones Christi: sicut alibi dicit se in corpore suo supplere quod deest passionibus Christi, Col. 1. d. 24. s. Quum igitur pii pro Christo affliguntur, Christus in eis affligitur: iuxta illud, Qui vos spernit me spernit, Luc. 10. c. 16. Item, Saule, Saule, quid me persequeris? Act. 9. a. 4. 4. Et Petrus dicit, In hoc quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, vt in reuelatione quoq; gloriæ eius tem gaudeatis exultantes. 1. Epist. 4. c. 13. c. Miseriæ quidem, & communes vitæ præsentis malis perinde ac bonis communes sunt: sed quum impiis accidũt, maledictionis diuinæ sunt signa: quia ex peccato prouenium, & nihil in eis apparet præter iram Dei & Adæ iocetatem: quæ non potest nisi animum deiicere. At fides interea Christo cõfigurantur, Rom. 8. f. 29. & circunferunt in corpore suo eius mortificationem vt vita Christi in ipsis aliquando appareat. Infra, 4. c. 10. De afflictionibus loquimur quas pro Christi testimonio sustinent. Nam tametsi virgæ Domini quibus eorum peccata castigat, illis sunt salutares: non tamen propterea cũsentur socii esse passionum Christi, nisi dum eius nomine patiuntur. Quemadmodum habetur 1. Pet. 4. d. 15. A. Hoc nobis sufficere debet ad lauandam omnem afflictionum acerbitatem, quum Deus dignatur nos tanto honore vt filii sui consortes faciat, si pro eo aduersa pati non recusemus.

6 Siue autem affligimur, *id fit* pro vestri consolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia earundem afflictionum quas & nos patimur: † siue consolationem accipimus, *id fit* pro vestri consolatione ac salute.

Al. sequẽdo alios vet. coll. Gr. post Patrum, inserũt hæc (quæ sunt princip. seq. vsq. Estque nostra de vobis firma est.

SIVE AVTEM AFFIL. B. Hoc ipsum repetit quod iam dixerat, velut epanaphora reliens singula tamen explicatius & per partitionem eloquitur. c. Ostendit se affligi, & consolatione recreari in bonum Corinthiorum, hinc spẽ concepit, quod eiusdem quam ipse potietur consolationis, futuri sint tandem consortes. s. Omnia in quit ad salutem vestram attemperat Deus quæ circa me fiunt: dum enim robur animi suppeditat mihi, vt in fracto animo quaslibet feram afflictiones, hoc ad vestram consolationem facit & salutem, vt nostro exemplo confirmati, fortiter feratis asperrima quæq;. t. nec a proposita & oblata vobis salute per animi impatientiam deiiciamini. c. Loquitur autem non tantum de externa miseria, sed de afflictione animi, vt contrario respondeat μεγαλοψυχίας. Ita affligi significat hominis animum premi ob metum sensum. Sed ista rem breuiter comprehendamus. Quoniam videbat Paulus suas afflictiones contemptus esse argumentum quibusdam, vt Corinthios reuocet ab huiusmodi errore, primum se plurimis ideo fieri apud ipsos debere ostendit quod vtilitas ad eos redeat: deinde consociat eos sibi, vt eius afflictiones quodammodo proprias reputent. q. d. Siue patiar afflictiones, siue consolatione afficiar, id totum fit vestro bono, & certo spero fore vt vestrate hac perfruam. s. PRO VESTRI CONS. s. Hoc est, quo maior est mearum afflictionum acerbitas, hoc meliorem spem salutis vestræ vos capiscere oportebat, atq; hinc solari: nam pro vestra salute ego affligor. c. Hoc autem dicit, non quod afflictiones quasi piaculatiae expiationes essent aut sacrificia pro peccatis, sed quia eos confirmando ædificarent. Ideo consolationem cum salute iungit, vt modum effectus eiusdem salutis designet.

7 Et spes nostra de vobis firma *est*: scientes quod sicut socii estis passionum, ita etiam consolationis *eritis*.

ET SPES NOSTRA. t. Quemadmodum inquit, cum ipsi nos afflictamur, haud quaquam metuo id molestiæ vos ferre, angique, haud secus quam si ipsimet paterminimi: sic sane compertum habeo, nostram vos consolationem pro vestra ducere. t. Vel aliter, Ita fore confidimus, vt quemadmodum participes estis afflictionũ nostrarum, ita fitis & solatii nostri participes: & quemadmodum diuexatis indoluistis antehac, ita ereptis gratulemini. c. Vt enim quidam pseudoapostolorum calumniis ad tempus abrepti essent nonnulli ex Corinthiis, vt minus honorifice de Paulo sentirent: dum videbant probrose coram mundo tractari: illos tamen sibi tam in afflictionum consortio quã in spe consolationis adiungit: prauam magnamque opinionem citra apertam reprehensionem corrigens.

8 Non enim volumus vos ignorare fratres, de afflictione nostra quę accidit nobis in Asia † quod *videlicet* supra modum grauati fuimus supra vires, adeo vt desperauerimus etiam de vita.

Al. summe grau. f. supra facultatem, adeo vt nos prorsus animi penderemus etiã quoad vitam.

NON ENIM VOLVMVS. s. Hactenus proœmium cum salutatione & exordio sequitur narratio. Primum autem suaduentus excusat dilationem: cuius primam causam assignat inexcusabilem afflictionem quæ sibi ac collegis suis accidit in Asia. Id quo ipsum indicat his verbis, Commorabor Ephesi vsq; ad Pentecosten: nam ostium mihi apertum est magnum & efficax, & aduersarii multi, 1. Cor. 16. b. 8. c. Verisimile autem est historiam hic attingi quam narrat Lucas, Act. 19. e. 24. s. Exaggerat autem Paulus quas illic pertulit afflictiones, dicens, se grauatum fuisse supra modum, supra vires, A. vt scilicet par non esset oneri sustinendo. c. Est enim metaphora sumpta ab iis qui sub ponderis grauitate deficiũt, vel à nauibus, quæ nimio onere depressæ merguntur. s. Significat ergo magnum fuisse hoc periculum, cui virium imbecillitas respondere non poterat. c. Non quia ipse succubuerit, sed quia sentebat vires sibi deficere, nisi Dominus nouum robur addidisset. ADEO VT DESPER. ETIAM DE VITA. s. Actum, inquit, putauimus de vita nostra. c. vel certe perquam exigua spes nobis restabat: qualiter affecti esse solent quibus vndiq; inclusis, nullum patet effugium. Quum ita loquitur Apostolus, non metitur suas vires Dei auxilio, sed proprio facultatis suæ sensu. Non est autem dubium quin omnes humanæ vires mortis horrori succumbant. Porro sanctos quoque de virium defectu periclitari necesse est, vt suæ infirmitatis admoniti pendere prorsus ab vno Deo discant: quemadmodum sequitur.

9 Quin ipsi in nobisipsis † sententiam mortis habuimus, ne confideremus in nobisipsis, sed in Deo, qui ad vitam suscitat mortuos.

Al. Decretum.

QVIN IPSI IN NOB. Tantam insolentiam iniquitatis significat insurrexisse in fide, prædicatores vt mortem ante oculos haberent. c. Similitudinem mutuatur ab iis qui ad mortem damnati, nihil aliud quam horam mortis expectant. Dicit tamen hanc sententiam sibi fuisse pronuntiatam à seipso, quo significat se opinione sua adiudicatum fuisse morti: ne videatur ex Dei reuelatione habuisse. NE CONFID. Notãdus est hic finis, eo necessitatis Paulum fuisse redactum, ne sibi confideret. A. Vnde discimus, Deum sæpe nos in magnum & præsens periculum adducere, ne nostris fidamus viribus cum morte congressuri, sed in Deo vero & vnico liberatore. c. Licet item hinc colligere quantum displiceat Deo nostri fiducia: cuius corrigendæ gratia mortis nos adiudicari oportet. QVI AD VITAM SVSC. M. T. Rursum Corinthios de resurrectionis ratione habenda commonefacit: de qua tam multa disseruit, 1. Cor. 15. a. 4. c. Et hoc epitheton quod Deo tribuit, aptauit circunstantiæ argumenti: quemadmodum Rom. 4. c. 17. Nam credere in Deum qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint, & sperare in Deo qui suscitat mortuos, perinde